



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


Modi LX Sacrae Orationis variè Formandæ

Kojałowicz, Kazimierz Wijuk

Antverpiae, 1668

Modus XXXV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69292](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69292)



MODUS XXXV.

TOta oratio, satis commodè formatur per Syllogismum: cujus partes probatæ, integrum constituunt sermonem. Quæ autem pars, major, an minor, aut etiam conclusio, sit prius locanda: item minori, an majori, magis insistendum: pro materiæ ratione, est decernendum, cum hoc insuper adjuncto, ut conclusioni, debiti affectus, adhortationesque subjungantur. Sit nunc, in syllogismo directo

P R A X I S.

Feria V. Cænæ Domini.

Cum dilexisset suos, usq; ad finem dilexi eos,
Joan. 13.

Accessus & Propositio. Si dignum admiratione spectaculum fuit, videre Salomonem in throno: de quo Cant. 3. *Ferculum sibi fecit Salomon. Ex lignis libani; columnas ejus fecit argenteas, reclinatorium, aureum, ascensum purpureum, medium constravit charitate, dignius certè, admiratione est spectaculum, videre hodie Christum, in terra prostratum, & ad pedes Apostolorum procumbentem. Nam, & plus quam Salomon hic, & magis admiranda majestas demissa, quam sublimis. Supra cætera tamen in utroque spectaculo miranda, admirandum est medium: quod sicut Salomon,*
ita

ita Christus, constravit charitate. Quod verò illud medium? antecessit cæna legalis & ablutio pedum: secuta est proluxa discipulorum consolatio, medium obtinuit institutio SS. Eucharistiæ. Planè medium constratum charitate, planè medium de quo dici possit, *Vsq; in finem dilexit*, hoc est maximè, supremè, perfectissimè, ut explicat Chryf. Theophili Euthy. apud Cornel. Id verò, ut melius pateat, adferam causam, qua probem, Christum, in institutione Eucharistiæ, & dilectione nos dilexisse quæ sit in finem, seu quæ egerit: quod maximum, dilectio vera egisse potuit.

Confirmatio, & totius Orationis textura,
per Syllogismum.

Major, Dilectio quæ efficit, ut amatus, & amans, fiant unum est dilectio in finem, agitque quod summum agere dilectio potest.

Minor. Sed dilectio Christi in institutione Eucharistiæ declarata, est dilectio quæ efficit, ut Christus amans, & homo amatus sunt unum.

Conclusio. Ergo dilectio dilectio declarata in institutione Eucharistiæ est in finem, seu quæ egit quod summum agere potuit.

Major.

Agere plus amor nequit, adeoque plus audere: quam ut amatum & amantem unum faciat. Herculeanis columnis, Carolus *Non ultra* fustulit: dilectionem sinceram, ultra eas metas, quibus amor amatum

amatum, & amantem in unum mutat, nemo pro-
 movebit Cant. 8. *fortis ut mors, dilectio: dura ut in-
 ferus amulatio: lampades ejus, lampades ignis.* En
 triplex charitatis supremæ Symbolum, mortem,
 Infernum, Ignem. Quid mors, nonne quem possi-
 det, mortem aliam quodammodo facit? & diffusum
 latè, cum vitæ profusione hominis non esse? Quid
 infernus? nonne quem obtinet, totum absumit, &
 in se redigit? Sed in igne, vis amoris clarius lucet, à
 quo materia subjecta, ita absumitur: ut amplius,
 stramen lignumvè dici non possit: sed dicatur, & sit
 ignis: atq; unum in aliud mutetur, cumq; id actum
 fuerit, agi plus non potest. Idem fit in sincera cha-
 ritate, non quidem in corporibus, sed in cordibus
 & affectibus. Transeunt dilectione amici in unum,
 & cum transierint, quod agat amplius dilectio, non
 habet. Hinc, si à sapientibus viris requiras, quid
 sit verus & summus amicus? respondebunt cum A-
 ristotele 9^o Ethi: *amicus, alter ipse* respondebunt,
 cum Alexandro, de Ephestione. *Et hic alter ego,*
 respondebunt, cum Abulensi in 1. Regum. cap. 8.
 quæf. 1. *Cum aliqui veri amici sunt; tanta in eis est
 colligatio: quod jam, non sunt ut duo homines, sed ut
 unus.* Videsne ut amplius de summa dilectione dici
 non potest, quam si dicatur, quod amatus & amans,
 unum sint. Unde, necessario quoque concludi de-
 bet, quòd dilectio summa, plus agere nequit: atq;
 si amantem & amatum faciat unum. Addat verita-
 ti pondus, Beatissimus Aug. Confes. 4. Cap. 6. de
 summo suo in amicum mortuū affectu, sic loquens
Benè quidam, dixit de amico suo, dimidium anima

mea. Nam ego sensi, animam meam, & animam illius, unam fuisse animam, in duobus corporibus: & ideo horrore erat vita, quia nolebam dimidius vivere: & ideo forte mori metuebam, ne totus ille moreretur, quem multum amaveram. Huc quoque refertur, quod scriptura de Jonatha & Davide dicit. 1. Reg. 18. Anima Jonatha conglutinata est animæ David: & dilexit eum Jonathas, quasi animam suam, quæ est suprema exaggeratio amoris.

Minor.

Quod jam dicam? cum id dicendum est, in institutione Eucharistica id à dilectissimo Jesu actum: ut ille, & homines unum essent. Patet veritas, testimonio ejusdem supremæ veritatis. Joan 6. *Caro mea, verè est cibus, & sanguis meus verè est potus Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo.* Et rursus. *Sicut misit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem; ita & qui manducat me vivet propter me.* O dilectionem admirabilem! O unionem nunquam satis perceptâ! vide interim ad eam intelligendam: Quod, caro Christi, sit cibus, & sanguis sit potus, utrumque utique in comedentem mutari solitum: quanquam ut ait, idem servator apud Augustinum in Confessionibus, aliter in hoc cibo res mutantur. *Cibus, inquit, grandium sum, cresce & manduca: & non tu mutabis, me in te: sed ego mutabo te, in me.* Vide rursus ad idem melius cognoscendum, quia **C H R I S T U S** asserit, homines
man-

manducantes se, vivere propter se: quod item, eam cum homine unionem indicat, qua vita unitur cum vivente: ut proinde sicut vita in homine; ita Christus, sit principium operandi: hoc est, sentiendi, intelligendi, volendi divinè, per actus conformes, actibus Christi, propter quos dici possit. *Vivo ego, jam non ego, vivit verò in me Christus.* ad Galat. 2. Hinc ea in homine mansuetudo noscitur, quæ in Christo; ea patientia, quæ in Christo; ea humilitas, quæ in Christo. Non me interea latet, majorem quandam unionem quam hanc, a deo que Physicam & realem asseri, à viris doctissimis: inter sacratissimum Christi corpus, & inter digne illud sumentes: sed quicquid de eo modo sit, illud infalibile est, quod Christus in iis, & illi in Christo, adeoque unum sunt: & quamvis non audiant aure, experiantur tamen in re, quod Servator D. Mechthildi, post communionem edixit. *Tu in me & ego in te, & in aeternum non derelinquam te,* & Cant. 2. 16. *Dilectus meus mihi: & ego illi.* Querit hic D. Bernar. *O sancta anima, quid tuus ille tibi, quid tu illi? Quanam quæso inter vos, hæc tam familiariter favorabiliterq; discutiens exhibitio, & redhibitio? tibi ille, tuq; vicissim illi.* Sic ubi, in hac certè secretissima Unione, Dei & hominis meritò inquiras. *Quid tuus ille Deus tibi? quid tu illi? nec aliud commodius responderis, quam quod ait August. 26. In Joan. Da amantem, & sentit, quod dico; da desiderantem, da esurientem, da in ista solitudine peregrinantem, atq; sitientem, & ad fontem patriæ æternæ suspirantem: da talem & scit quid dicam: si autem*

rem frigido loquar, nescit quid dicam. Interea, certum est ex illa unione, consequi unionem intimam affectuum. Certum est etiam, ejusdem unionis effectus, redundare, etiam in partem sensitivam: atque ipsum corpus digne communicantium. Site enim Phantasmata non molestant, si imaginationes turbulentæ non distrahunt, si passiones animi non turbant, si luxuria mitescit, si superbia non intumesceat, gratias age corpori & sanguini Christi. Mirum autem, quòd quibusdam & vultus ad sacra altaria hilarescat, & facies lucem quandam, & Angelicum cum dignitate decorem præferat: mirum & felix, illud autem felicius, quod propter hanc unionem Christi cum hominibus, corpora hominum singulariter ab Angelis custodiantur; & ut asserit rursus D. Chryf. lib. 6. de sacerdotio, corpora eorundem mortuorum, more satellitum iisdem stipantibus, in vitam æternam custodiantur.

Conclusio.

O Deus? O amor? O humana ignavia! hic sicubi merito, illud Beati Ægydii supra cunas Christi infantis suspirantis, inclamem. *Amor non amatur, amor non amatur*, sed & illud ingeminem, D. Chryf. homili 61. ad populum Antioch. *Hei mihi quot ad salutem nobis via? nos corpus suum effecit, nobis suum communicavit corpus, & horum nos nihil, à malis avertit. Non illi satis loquitur idem homil. 60. hominem fieri, colaphis cadi & crucifigi: verum & semet ipsum nobis commisset, & non fide tantum, verum & ipsa re nos suum efficit corpus. Verè hac dilectio, est ad finem, summa ac suprema, cui cum*

N

nun-

nunquam dignè respondere possimus, saltem pro virili respondeamus.



MODUS XXXVI.

MAjor Syllogismi interdum exordium occupat; Minor cum conclusione Orationem explet. Quod si Crinomenon, seu, vis propositionis in majori potius consistat, minor exordium, major, reliquum sermonis conficit. E. gr. si in Festo fundatoris alicujus ordinis dicturus, formares hunc syllogismum. Festa Divorum, qui sacros ordines excitarunt, decet nos gratissimo cultu & pietate celebrare; sed festum N. est tale. Ergo &c. hujus Syllogismi minore exposita in exordio; Major, hanc propositionem conficeret. Dicam, quam gratè & piè obeundi sint, dies Divis fundatoribus sacri: quæ deinceps probatæ, orationem impleret. Sed prior modus tractandi frequentius obvenit. Unde ejus sit

P R A X I S.

In Festo Nativitatis B. V. MARIÆ,

Liber generationis Jesu Christi, Matt. I.

Syllogismus, quo tota constare debet Oratio.

Major. Qui liber, explicat, quid unusquisque a Deo sperare possit: hic liber diligenter relegendus, atq; considerandus est:

Minor.